



VERBA PUELLE SEPULTE AD TRANSEUNTEM

- C_1 v.1 Tu qui segura procedis mente, parumper
 2 siste gradum, quaero, verbaque pauca lege ;
 3 in te si forte fuit Cythereius heros ;
 4 senties, et merito, pietatis tela legendo
 5 et pro me Jovi porriges horae preces.
 6 Illa ego quae claris fueram praelata puellis
 7 in mea Parthenope positis urbe clara,
 8 dulce juventutis tempus fungebar in aevo,
 9 (necdum ter quinos aetas mea viderat annos)
 10 cui formam Phaphiae, Charites tribuere decorem,

11 quam Pallas cunctis artibus erudiit ;
12 fuit et ut placuit mihi Constantia nomen.
13 Sic tempus placidum non indiscreta trahebam,
14 et jam Cupido juvenem paraverat ante
15 oculos et videram quem mihi summe placebat,
16 et ut ei dabam causam sic dabat amandi,
17 et simul et semel urebatur face potenti.
18 Hunc mihi promiserant spes simul et alta Tonantis
19 soror et in brevi maritali jungere lege.
20 Et cum spectarem, fata prius mutavere
21 dantes consilium mihi pro melle venenum :
22 tunc inimica mei subrexit Atropos, heu,
23 et me subripuit subito de medio dira,
24 et pia sepulcro sum tumulata manu.
25 Hic locus, haec requies fata dedere superna ;
26 hic pulvis faciem nititur vastare decoram ;
27 hic oculi nequeunt multa jam visa videre ;
28 hic roseus color pulchra dimisit hora
29 et pallet misere pars unaquaeque mei ;
30 hic nigrent auro similes turpissime crines,
31 ordine relicto quem dabat apta manus,
32 quae simul a mira Palladis arte vacat.
33 Torpent ad choreas pedes usitati veloces
34 et medio silet lingua sonora palato
35 nec dat ulterius voces dulcore repletas
36 in quibus utebar Calliopis modulos.
37 Hic jacet extinctus amor qui corda peruxit
38 et spe fugata vivit quem ante dilexi.
39 Quid plura ? Sum nihil si jam pulcherima fui,
40 et mutor in cinerem morem sequerido priorum.
41 Sic ergo respicias qualia te fata sequuntur :
42 nam vitare mortem nullus in orbe potest.
43 Sed si te superi trahant ad scanna beata,
44 cum post me veneris legem solvendo communem,
45 da, lector, juveni preces qui me diligebat :
46 ut lacrimare sinat vitam ducendo primaevam,
47 ut sine maestitia domos adire beatas,
48 quas quaerit, possim spiritus de corpore latus.

VERBA TRANSEUNTIS AD PUELLAM SEPULTAM

49 Hic ego sum miser primus qui verba notavi
50 et legi versiculos qui mea damna ferunt.
51 Sed male, quod optas, possum, speciosa puella :
52 ponere ploratus, te sine vita jacente ;
53 sed querar quare subito miserabile fatum
54 sic misere dii sua pietate relicta.
55 Hei mihi cur novi, cur te, pulcherima, vidi ?
56 Si non novissem, non foret hic dolor.
57 Heu mihi quid faciam ? Plorabo semper ubique,
58 sed non sufficiet cordi pejora querenti.
59 Quos gemitus summam nescio, quae dignia lamenta
60 in quibus ostendam doloris copia quanta
61 sit mei dolentis, cui pejora parantur.
62 O decora nimis, ubi nunc Constantia manes ?

63 Cur mihi non loqueris ut jam locuta fuisti ?
64 Aurea caesaries, ubi nunc ridentes ocelli ?
65 Hic sine luce manent et haec inculta vilescit ;
66 sidereus vultus, ubi nupta lilia rosis
67 esse videbantur, pallet, nec est ibi color ;
68 os pariens rosam sub qua tegebantur eburni
69 ac nivei dentes est nubilosa modo ;
70 cara jacet cervix et sedent humero colla ;
71 poma mamillarum parvo suspensa tumore
72 (nullaque mollitie pendebant fracta, sed ipsa
73 durities propria signabat signa pudoris)
74 et, quae spectabant amplexus bracchia forte
75 dando suos meos, si misera fata dedissent,
76 et manus anulis quam jam ornare credebam,
77 et quae sub istis membra meliora putabam,
78 hic sunt sub duro lapide tecta simul.
79 Quid igitur agam ? Me sine spe dimisisti,
80 me cruciat amor, me dolor anxiat, heu,
81 cum puto non umquam te revidere debere.
82 Nescio quo vadam, quid optem, quod deo petam :
83 mors sola mihi placet, posquam tu mortua jaces,
84 cum sine te nequeam vitam deducere letam.
85 Pro te quaerebam vivere dum viva manebas :
86 nunc sine vita jaces, quid mihi vita valet ?
87 Lux tua dolores medebatur anxiae mentis,
88 et cruciatus quos dabat saepe Cupido
89 visa fugiebant hillari facie vere.
90 Nunc sine pace vigent mortis augendo dolores.
91 Te si fata mihi contraria subriperunt,
92 saltim vidisse te morientem dedissent.
93 Forte dixisses : morior, carissime, vale !
94 Sed non dederunt ; utinam te mortuam darent
95 ut videre possem, et quos mihi vita negavit ;
96 mors daret amplexus : ora pallentia saepe
97 rigando lacrimis oscula dando piis,
98 o possem tumulo tecum recumbere tuo,
99 ut quos junxit amor mors jungeret una sepulcro.
100 O dolor inensus, pestis nefandaque dira,
101 cur vivam sinis ? Cur me non morte repellis ?
102 Mors veni ! Heu, miseris longo nil tristius aevo.
103 Vae mihi cui vita mors erit amodo certe :
104 dulce mori miseris si mors vocata veniret.
105 O caelum ! O superi ! Quid feci, quid fecit ista ;
106 ut morti data darer non et ego mori ?
107 O Venus immensi deaque mater Amoris,
108 o nuptiarum dea Saturnia magna,
109 hanc mihi conjungi promisistis ore divino
110 quam mors necavit : sic vox irritata deorum.
111 Cur sua non venit aetas ad debiles annos
112 plenae senectutis ? Quod si fieri negabant,
113 hoc deae fatales tempus quod mihi dedere
114 ut viverem, supersecassent, attribuendo
115 juveni quae jacet mortua cito nimis.
116 Quid, heu miser, agam virgo Constantia pande !
117 Heu, nunc, quod possum, fugiam lucemque deosque :
118 te sequar ut comes, et tecum ibo sub umbras.

119 Sed si forte pia corporis umbra foret
120 nec doloris hujus causa deserere vellet,
121 Didonis exemplo sibi fugam dabo velocem
122 gladio vel laqueo Blibidem sequarque dolentem.
123 Nam potius umbras volo visitare per undas
124 Cocyti vel Stygias, Ditis civesque videre
125 si mihi Leda locum negaret ubi bearis,
126 quam sine te velim mundo manere dolendo.

RESPONSIO PUELLE SEPULTE IUVENI CONQUERENTI

127 Parce tuam, juvenis, fletu quassare juventam
128 et fata merendo sollicitare mea.
129 Nil prosunt lacrimae nec possunt fata moneri.
130 Viximus : hic omnis exitus unus habet.
131 Parce ita : non umquam similem experiare dolorem
132 et faveant votis numina cuncta tuis.
133 Quodque mihi eripuit mors immatura juventae
134 id tibi victuro proroget ulterius.

JOHANNES DE CERTALDO CHECCO DE MILECTO

C_2 v.1 Postquam fata sinunt armis furialibus omnem
2 Italiam bellis miseram lustrare potenti
3 Bistonidum cui sacra calent altaria Marti,
4 talia cum minime deceant nos tempora mirto
5 cingere temptantes latices gustando sacratos
6 fontis Castalii, restat per opaca virentum
7 ire decens nemorum veteres spectando latebras
8 Aonidum cantuque gravem leviare laborem,
9 ultima dum pateant tantarum condita rerum.
10 Ergo, si cera gracilis compacta cicuta
11 est tibi vel buxus fortasse argutior, ipse
12 carpe viam primus nunc, Maenala grataque nymphis
13 Arcadiae montana petens saltusque Lycaeos :
14 vel, si forte animo staret magis ire per arva
15 Sicilidum Typhoea gravi, mirande, sub Etna,
16 i, sequar, et raucum solvet mea fistula carmen,
17 dum tua cantando primos det tibia versus.
18 Nosti equidem, mi Moeris : amant alterna Camenae ;
19 curaque pastorum vel magna Dionidis arma
20 sint calami limen nostri non alta valentis
21 decantare magis. Nobis quoque cognita Paphos
22 et Veneris flammis saevosu Cupidinis ictus,
23 nam placido Galatea mihi suspiria vultu
24 lasciviens praestat, nec diros opprimit ignes ;
25 et si forte pecus non sit mea cura, capellae
26 jamdudum stabant. Hominumque deumque labores
27 Mopso relinquamus, cui frontem nectere lauro
28 vidimus : ipse deos jam cantat vertice sistro.
29 Me quoque texentem silvestri vimine saeptam

30 spectat opus quo tendo citus. Sed jam tuus opto
31 ut tibi sint faciles satyri dryadesque puellae
32 et superum veneranda cohors, longumque per aevum
33 pascua rura pecus rivos umbrasque recentes
34 conservent tribuantque simul gratamque Dionem,
35 ut possis cunctos albo signare lapillo
36 quos tibi fata dies praestabunt candida mundo.
37 Nunc igitur valeas, Moeris mi digne ; memento
38 quandocumque tui poteris festando Menalcae,
39 cui si quando velis quicquam rescribere contra,
40 en moror ipse modo quo nobis otia Faunus
41 praestitit ac umbras habito quas fecit apricas.

EGLOGA IOHANNIS DE CERTALDO CUI NOMEN FAUNUS INCIPIT

C_3

v.1 Tempus erat placidum, zephyrus quoque missus ab antro
2 Aeolio frondes flores et gramina glebis
3 mulcebat lenis. Tunc silvis omnia laeta
4 pace quiescebant ; pastores ludus habebat
5 vel somnus facilis ; pastae sub quercubus altis
6 ac patulis passim recubabant lacte petulcis
7 ubera praebendo natis distenta capellae.
8 Delphicus interea summum scandebat Olympi
9 et minimas terris praestabat corporis umbras,
10 otia cum subito rupit vox improba maestae
11 Testilis, "O ! - Clamans - quae te dementia cepit ?
12 Quid sequeris diros montana per ardua, Faune,
13 ursos saetigerosque sues fulvosque leones ?
14 Non te cura tui retinet ? Non parva tuorum
15 haedis mista cohors cornu ludentibus ultro
16 natorum ? Non matris amor ? Non conjugis ? Heu, heu !
17 Non te cura tenet pecudum quibus ipsa recenti
18 vimine composui saeptam ? Dic, obsecro, nescis
19 qualis in has rabies circumstrepit alta luporum,
20 insidiae quorum nondum quater ubere lac tu
21 ex his mulsisti postquam patuere ? Quid ergo ?
22 Me, dic, posse putas tantis obstare periclis ?
23 Femina sum trepidans paucis sociata molossis".
24 Ultima reddebat fundis ex vallibus echo.
25 Deditus ipse tamen ludis per pascua flores ;
26 grandia quaerebam, serto jam fronde parato
27 consertare volens. Animum sed clamor anhelum
28 traxit et e manibus flores cecidere reperti ;
29 florilegum liqui studium, quae Testilis altae
30 dixerat accipiens, mecum post dicta revolvens ;
31 hinc oculis silvam repeto totamque sonantem
32 audio, nil aliud cernens. Sed Moeris, ut opto,
33 affuit et baculum forsitan de stipite querno
34 gestabat laeva caput intectumque galero,
35 nescio quid meditans secum. Sed tunc ego primus
36 inquo : "Mi nemorum fulgor, salveris, o Moeri !
37 En optate venis. Si quis nunc nuntia nostris
38 rumor inest silvis. Nostin quae Testilis ire ? "

39 Risit tunc Moeris ; post haec sic ille : "Menalca,
40 salve ! - inquit - Tu solus ades cui ijurgia non sunt
41 Testilis et Fauni notissima. Pande sed, oro,
42 quid solus peragas tanto in discrimine silvae".
43 "Serta mihi lauri pulchro distincta hyacintho
44 quaerebam, servanda tamen, dum fistula gratos
45 nostra ciet modulos Mopso, cui tempora lectis
46 nectere concessum pastoribus. Haec mihi grata
47 munera carminibus servantur, dummodo fatis
48 hoc placeat. Sed si qua meis praestanda fides est
49 verbis, juro tibi, nunc jurgia magna dolentis
50 Testilis ignoro. Sed tu modo pone galerum
51 et baculum mecumque sede lucemque severam
52 hanc fugias rogito. Sunt nobis dulcia poma,
53 lac pressum mellisque favus cererisque polenta ;
54 hic nemus et gelidi fontes et mollia prata,
55 hic hederæ viridis tectum nigrisque corymbis
56 antrum, quo magnus quondam residebat Amyntas.
57 Et quamvis cantare vetes, nemus omne cicadis
58 dedecus in nostrum milvis corvisque relictum
59 affirmans gravitate tua (neque ipse negabo),
60 non tamen interea nos hic requiescere fas est
61 torpendo, tamquam virtus suffulta favore
62 fortune vigeat seu forsā blanda requirat
63 ora virum : virtus per se valet ipsa vigetque.
64 Si nostros montes colles vallesque recusant
65 versus, quid ? Nobis, Mopso Musisque canamus.
66 Haec etenim vivæ resident in culmine sacri
67 Parnasi sanctumque nemus fontemque sonorum
68 observant Cirrhamque colunt desertaque rura ;
69 non, testor, victæ, sed parvi temporis usum
70 Pieridis præstant. Ideo, Moeri, ha ! Nisi fallor,
71 tempus adhuc veniet, nobis cecinisse juvabit.
72 Sed quia propositum tibi forsā nolle Camenis
73 deservire, gregem spectans immergere lymphis
74 dum calor arva tenet, sit ; nullis denique cantes
75 hortabor precibus ; saltem quaesita recense."
76 Consedit Moeris turbata fronte parumper.
77 "Ipsene - ait - Musis sistam servire, Menalca ?
78 Absit. Nam longe primo de fluctibus orni
79 Neptuni surgent, venient ad pabula tigres.
80 Innocue, fugiet pavidus lupus ipse capellas
81 quam mihi non animo Musis servire moretur,
82 quamquam cura gregis parvi per plana vagantis
83 me teneat multum. Stipula sed promere versus
84 nunc tempus prohibet, dum talia, qualia nuper
85 ipse petis, maneant. Quæ si vis, tolle, docebo."
86 "Dic, age, mi Moeri : et nam, numquid arundine versus
87 decantare decens vel non, servabimus." Ille :
88 "Ut tibi quam grandis fuerit, si nostra meretur
89 musa fidem, pateat silvis venerabilis Argus
90 pastorique decus, paucis præsummere verbis,
91 dum stes, intendo, demum venturus ad omne
92 quaesitum." Tunc ipse : "Volo". Sic ille resumpsit ;
93 "Nescio si montes umquam nemorasaque plana
94 nosti, quæ gemino resident contermina ponto

95 Euxonico, magno quondam disjuncta Peloro
96 exiguoque freto, Scyllae locus atque Charybdis.
97 His Argus pastor, merito cantandus ubique,
98 vivus erat silvis. Niveos hunc mille per arva,
99 per montes collesque leves camposque per omnes
100 audivi servare greges et pabula cunctis
101 et rivos umbrasque simul praestabat apricas.
102 Nec melius quisquam frondes novisse salubres
103 aut soles imbresque graves seu flumina dira
104 et pecori fetuque novo fertur (quia novi,
105 hoc ideo refero) ; nec rerum reddere causas
106 Silenus potuit melius, non maximus Atlas
107 cognovit caelum potius, non poma dracone
108 pervigili servata magis. Quae plura requires,
109 dic, bona pastori ? Non Argum vivere talem
110 invenies, totas si lustres undique silvas.
111 O ! tibi si quanto tangebatur carmine colles
112 exprimerem, vix ipse ferens. Nam iudice certent
113 Antiopa satyroque satus, qui moenia Thebis
114 inposuit plectro, vel magnus Thracibus olim
115 vates dulciloquus, silvas qui traxit et amnes.
116 Ismenus Dirceque ferent : si saxa revulsit
117 hic muris cithara, divos disvelleret Argus ;
118 Ismarus et Rhodope damnabunt vocibus Orphea.
119 Quid tibi nunc referam ? Noster, cui tura paramus,
120 Amphrystus pastor vix quiret tendere secum
121 vocibus aut calamo vel nervis. Aspice quantus
122 ergo fuit silvis Argus, cui nemo secundus.
123 Hunc igitur mors saeva tulit, quae singula vincit ;
124 nec rediturus abit, silvas carosque relinquens
125 pastores gratosque greges se condit in astris.
126 Fleverunt montes Argum, flevere dolentes
127 silvarum colles cryptae longique recessus
128 et satyri faunisque leves nymphe dryadesque
129 et tauri pecudesque breves grandesque molosi,
130 stagna lacus fontes rivique et flumina quaeque,
131 Cirrhaei latices flevere et flevit Apollo
132 et Mopsus Phitiasque suos vel magnus Idaeus,
133 caespitem qui viridi tumulum struxere perennem
134 per lacrimas Argo, foliis ac floribus omnem
135 complentes tumuloque super post addere carmen
136 intenti, ne nulla quidem deduceret aetas.
137 Sed tu quid defles ? Oro, responde, Menalca,
138 ante magis tendam ; dic, Moeris si tibi curae est."
139 "Quidne fleam quaeris ? Quae narras ipse ego novi,
140 confiteor, nec cuncta refert quae noverat Argus.
141 Ex grege nempe fui pulchro, sed junior olim ;
142 hunc igitur demptum lacrimor. Sed tu modo perge
143 quo tendis, mi Moeri, rogo." Tunc ille secutus :
144 "Hic armenta boum pecudes parvasque bidentes
145 et montes silvasque et pascua ruraque cuncta,
146 heu ! quondam moriens juveni commisit Alexi,
147 qui, male dum cautus armenta per arva trahebat,
148 in gravidam fortasse lupam rabieque tremendam
149 incidit ; et Phoebes radios tunc nube tegebat,
150 unde levis juvenis nullo cum lumine lustrum

151 nescius intravit ; cujus saevissima guttur
 152 dentibus invasit, potuit neque ab inde revelli.
 153 Donec et occulto spiraret tramite vita.
 154 Hoc fertur ; multique ferunt quod silva leones
 155 nutriat haec sevasque feras, quibus ipse severus
 156 occurrit venans mortemque recepit Adonis.
 157 Si tibi cuncta velim quae tunc gessere propinqui
 158 pastores narrare, dies non, solis ab ortu
 159 usque domi saturae redeunt cum nocte capellae,
 160 sufficeret spatium. Sed postquam Tityrus ista
 161 cognovit de rupe cava, quae terminat Istrum,
 162 flevit et innumeros secum de vallibus altis
 163 Danubii vocitare canes durosque labore
 164 pastores coepit ; relinquensque armenta suosque
 165 saltus infandam tendit discerpere silvam
 166 atque lupam captare petit flavosque leones
 167 inmanesve feras, quarum jam mitis Alexis
 168 egregius sanguis forsitan per guttura fluxit,
 169 ut poenas tribuat meritis. Nam frater Alexis
 170 Tityrus iste fuit. Numquid vidisse furentem
 171 mente tenes nuper lato venabula ferro
 172 gestantem manibus, multos et retia post hunc
 173 portantes humeris, jaculis multisque sagittis
 174 et canibus fultos, ira rabieque frementes,
 175 hac olim transire via silvamque per omnem ? "
 176 Tunc ego : "Sic memini. Sed quae nunc Testilis ire ? ".
 177 "Ecce tene. Multi per devia Tityron istum
 178 pastores nostri canibus sumptisque sequuntur,
 179 inter quos Faunus noster jam carpere colles
 180 cernitur. Inde dolet tristem solamque relictam
 181 Testilis in silvis cernens se ; namque luporum
 182 insidiae plures exstant, prout ipsa fatetur."
 183 His dictis, animus qui jam torpore rigebat
 184 surrexit floresque meos sertumque reliqui
 185 aiens : "Moeri decus ; Faunum post ire paratus
 186 sum ; sed dum venio mulge tu, care, capellas".

C_4 v.1 Hic pater et genitus, Pinus Campique quiescunt,
 2 militia insignes ambo prolisque Tosinghae.
 3 Prudens ille fuit multum, sed natus in armis
 4 fortior, ut patuit cum bella furentia gessit
 5 juxta Altopassum, patriae dum quaerit honorem.

ILLUSTRI VIRO FRANCISCO PETRARCE LAUREATO

C_5 v.1 Italiae jam certus honos, cui tempora lauro
 2 Romulei cinxere duces, hoc suscipe gratum
 3 Dantis opus doctis, vulgo mirabile, nullis
 4 ante, reor, simili compactum carmine saeculis ;
 5 nec tibi sit durum versus vidisse poetae
 6 exulis et patrio tantum sermone sonoros,

7 frondibus ac nullis redimiti. Crimen iniquae
8 fortunae exilium ; reliquum, voluisse futuris
9 quid metrum vulgare queat monstrare modernum,
10 causa fuit vati : non, quod persaepe frementes
11 invidia dixere truces, quod nescius olim
12 egerit hoc auctor. Novisti forsan et ipse,
13 traxerit hunc juvenem studiis per celsa nivosi
14 Cirrhaeos mediosque sinus tacitosque recessus
15 naturae caelique vias terraeque marisque,
16 Aonios fontes, Parnasi culmen et antra,
17 Julia Pariseos dudum serusque Britannus.
18 Hinc illi egregium sacro moderamine virtus
19 theologi vatisque dedit, simul atque sophiae
20 agnomen, factusque ferae est gloria gentis
21 altera Florigenum ; meritis tamen improba lauris
22 mors properata nimis vetuit vincire capillos.
23 Insuper et nudas coram quas ire Camenas
24 forte reris primo intuitu, si claustra Plutonis
25 mente quidem reseres tota, montemque superbum
26 atque Jovis solium, sacris vestirier umbris
27 sublimes sensus cernes, et vertice Nysae
28 plectra movere Dei Musas ac ordine miro
29 cuncta trahi ; dicesque libens : "Erit alter ab illo
30 quem laudas meritoque colis, per saecula, Dantes,
31 quem genuit grandis vatum Florentia mater
32 atque veretur ovans ; nomen celebrisque per urbes
33 ingentes fert grande suum duce nomine nati".
34 Nunc, oro, mi care nimis spesque unica nostrum,
35 ingenio quamquam valeas caelosque penetres,
36 nec Latium solum fama sed sidera pulses,
37 concivem doctumque satis pariterque poetam
38 suscipe, perlege, junge tuis, cole, comproba : nam si
39 feceris, ipse tibi facies multumque favoris
40 exquires ; et, magne, vale, decus Urbis et orbis

C_6 v.1 Nescis posse meum, quae sit mea gloria nescis.

C_7 v.1 Si bene conspexi quae scribis carmina, vatum
2 jam decus et patriae fulgor, venerande, secundus,
3 tempus dulce trahis, dum mens invicta periclis
4 proposito stat firma sacro, dum cernere libros
5 non piget, et falsum spernis sapienter inepti
6 iudicium vulgi paucisque indulta revisis
7 ornamenta ducis, quae sunt calcaria cordi.
8 Haec te ne laedat, possit ne laedere, quamquam
9 Germanum Germana phalanx stet turgida circum
10 insultans armis ! Faciant spectare palentes
11 in segetes pecudumque greges armentaque passim
12 nunc ferro nunc igne ; gemant quibus acrior instat
13 cura lucri ! Mihi, care, labor fuit alter iniquus

14 jamdudum, dum saeva Canis injuncta Leoni
15 stella malum finiret iter : stetit obvia febris
16 incauto mihi dura nimis nil tale timenti ;
17 cum qua per menses luctatus ad omnia vires
18 exposui, memorans Alcidis proelia quondam,
19 dum fuit Antaeus Libycis prostratus arenis.
20 Et victor persaepe fui, dum praemia vitae
21 sperarem si victor eram : sed fortis et instans
22 hostis in ambiguum, renovatis viribus, ingens
23 plus solito surgebat ovans, cui sistere durum
24 jam reputans, mortem volui, si fata dedissent.
25 Et cecidi, victusque fere irremeabile limen
26 usque adii mortis ; saevus sed terruit horror
27 ingentis barathri, nam, dum specularer avaras
28 attonitus latebras completas murmure tristi,
29 expavi, traxique pedem vestigia flectens,
30 ut potui, et caelo rediens ; viresque resumpsi
31 inde novas, vicique malum summoque labore
32 perdomui tandem. Et posito mihi debile robur,
33 et compos vix ipse, vicissim carmina cudo
34 te duce : quis vati versus non praestet amico ?
35 Haec alias narrare libet ; nunc vertere cursum,
36 est animus quo coepta trahunt. Tibi tramite, dicis,
37 ire placet medio, priscorum facta recusans
38 et nova gesta virum. Laudo ; nec degere canens
39 est opus, ipse refers, nec desunt acta diebus.
40 Hesperiam geminam Karolo vincente videbis
41 Francorum perferre jugum, Gallosque comatos ;
42 hinc etiam modicum supra si plura revolvas,
43 adveniet coram perlucida turba proborum,
44 ni tibi quod cantes dederit memorabile Clio :
45 Vandalus impatiens sedis regesque Ticini,
46 Vinulus invasor Latii, Gothusque severus,
47 bellaque Samnitum dum surgeret Umbria contra,
48 mille vacant, si cuncta velis discurrere gesta,
49 splendida sumpta tibi quae possunt reddere sarta
50 aut alias majore sono pretendere lauros.
51 Fac, age, tange chelim : contemnunt otia frondes
52 Peneide, damnatque cohors veneranda sororum
53 Castalidum. Nos turba minor suspensa tenemus
54 ora quidem, si forte cadat de fonte propinquo
55 quid sapidum, aut cupidus nobis quod mulceat aures.
56 Quid, breviter videant homines. Tu denique prudens
57 multa vides, et pulchra sedens nunc cernere debes
58 librorum in medio quos servant claustra Casini.
59 Fac, age, tange chelim : tempus fugit ocus aura,
60 nec redeunt flavi quos circum tempora crines
61 jam canos traxere dies, gravis atque senectus.
62 Haec ego dum scripsi, semper clarissimus ille
63 affuit orator mihi legum doctor amicus
64 Loysius, sic velle ferens et scribere mandans.

2 gloria sit summo Regi matrique, precamur,
3 quos oro celsas praestent conscendere sedes
4 dum suprema dies veniet morientibus aegris.

VERSUS DOMINI IOHANNIS BOCCACCII AD 'AFRICAM' DOMINI FRANCISCI PETRARCE

C_9 v.1 Italiae sublimis honor, generosa Petrarce
2 Africa Francisci soboles, quid nescia dormis ?
3 Non sentis convexa poli, non sidera secum
4 quod tibi permittant fatum pugnancia ? Quodque
5 jam patres Veneti, quis coram dicere causam
6 te fortuna jubet, juris posuere tribunal,
7 inque fori medio sedeant, crepitentque furentes
8 in caelum flammae damnatis, credo, papyris
9 supplicium, rostrisque fremant hinc inde patroni
10 vocibus et strepitu complentes omnia circum ?
11 Horridus hinc nigris squalens per colla colubris
12 Livor edax clamore petit solvaris ut igne,
13 hoc tibi confirmans rigidum voluisse parentem,
14 dum fuit in terris illi lux ultima : necnon
15 Attica jura velint validique potentia moris
16 legis habere locum, jubeant tabulaeque quirium.
17 Parte alia Pietas deflet sociata querelis
18 innumeris, dulcesque simul stant ordine secum
19 orantes Musae lacrimis precibusque senatum,
20 ne pereant tot gesta virum sanctique labores
21 amplaue doctiloqui vatis nunc carmina flammis.
22 Incerti resident patres et murmure multo
23 discutiunt, cui danda fides et credere dictis
24 jure queant, hostine tuo seu forte Camenis.
25 Et tu, incerta tui, torpes quasi nescia ? Surge
26 surge, precor precor, ipsa tibi sis causa salutis,
27 dum dubii pendent, dum nondum robore quicquam
28 censores firmant, superi dum tempora praestant.
29 Excute letiferam pestem viresque resumme,
30 pellito segnitiam, longo squalore catenas
31 jam fragiles infringe manu postesque revelle
32 valvarum, tristesque domos et carceris umbras
33 linque fuga celeri : custos nunc ille severus,
34 qui solers multos caros tibi sustulit annos,
35 est absens, abiitque volens meliora secutus.
36 Quid mussans differs ? Non spectas, impia tecum,
37 quot doleant timeantque tibi ? Circumspice, quaeso,
38 quot pereant misere, si tu neglecta peribis.
39 Italiae renovatus honor musaeque Latinae,
40 laurea Tarpeia digitis assumpta sub arce
41 Romuleis gratumque decus veneranda poesis,
42 ingenium caeleste patris grandesque labores,
43 inclita fama virens orbi jam cognita toto,
44 heu ! flentes ibunt tecum tua fata sub umbras !
45 Stat procul emissus montis violentus ab antris
46 Sorgia, divolvens ingentia saxa cavernis,
47 mugituque gravi nebulis oppletus in agros

48 funditur, ac hominum fructus et culta colonum
49 turbatus, tua damna timens, praevertit et aufert.
50 Caeruleum caput e vitreis Thetis erigit undis,
51 naiadum sociata choris, cum gurgite deflens
52 quos tibi nunc ignes audit crepitare propinquos :
53 nam te nascentem nemorum per opaca sub umbras
54 suscepisse suis ulnis et lacte cibasse
55 et servasse refert, verique crepundia testes
56 margine gramineo demonstrans, atque parentis
57 praetendit mansura diu vestigia magni,
58 quae juxta movisse animum viresque dedisse
59 tinnituque sibi gracili tenuisse canenti
60 concentum, pulchram dum te quoque gigneret olim.
61 Albula sic fluvius, populus sic omnis et omnes,
62 heu ! proceres Urbis circum Capitolia frendunt
63 et tibi saeva timent, cunctum convicia flentes,
64 teque vocant suadentque fugam votisque precantur
65 ut te surripias igni sanctisque tuorum
66 te manibus credas longos victura per annos,
67 in sedesque velis tecum revocare priores
68 Ausonias musas septemque revisere colles
69 atque pio cantu saltem recreare ruinas,
70 tollere si nequeas, et priscum nomen avorum.
71 Ex urna veteri, cujus tu grandia cantas
72 bella, viri cineres emictunt mixta querelis
73 verba, quibus requiem poscunt humilesque perorant,
74 non igni mandare velis quam carmine famam
75 aethereo renovas, iterumque per invia mundi
76 exilio religare senem, clara atque trophea.
77 Euboicae rupes et circum litora Baias,
78 Sirenae scopulus, Baccho gratusque Vesevus
79 emictunt omnes gemitus tibi, diva, timentes ;
80 marmoreosque inter lapides sculptumque sepulcrum
81 Tritones referunt, sit vox audita Roberti
82 magnanimi regis repetens promissa Petrarcae,
83 ut sua sis nomenque suum per saecula serves,
84 concessos memorans laetos pro munere honores.
85 Sed dic : non audis, medio nunc carceris, aegram ;
86 dum nudam viduam solam miseramque dolentem
87 se dicit natumque vocat Florentia frustra ?
88 Si caput extuleris, fessam flentemque videbis,
89 carpentem manibus sparsos hinc inde capillos,
90 pectora tudentem pugnibus ac ora rigantem
91 unguibus infestis, pulla sub veste sedentem,
92 pulvere respersam putri, Parcasque sorores
93 et caelum sidusque malum crinemque resectum
94 ante diem Triviae lacerantem et numina dictis.
95 Te solam cupiens, sperans te posse dolores
96 composuisse suos, quid, si te sentiat, oro,
97 in cinerem versam, facturam credis amentem ?
98 In mortem furibunda ruet, nigrasque vocabit
99 orans Eumenidas rapiant maculentque per umbras
100 quod fueras factura suum, si vita fuisset,
101 perpetuum nomen. Poteris, dic, obsecro, mentem
102 non flexisse piis lacrimis precibusque vocantis ?
103 Sis facilis matri, reliquos si forte recuses,

104 teque sibi natisque velis saeculisque futuris
105 reddere : carpe fugam volucer dubiosque relinque
106 Euganeos montes ; timeas non, hercle ! Necesse est.
107 Te quoque Castalio servabunt vertice Musae
108 Pierides vatumque chorus, te grandis Apollo
109 inde sacris cum jure tuo tutabitur armis.
110 Inclita Pariseos optatam pluribus annis
111 te vocat, et manibus tensis supplicanter adorat
112 esse velis secum, cum sit vetus hospita vatum
113 pervigil et servet studiis monimenta priorum ;
114 te civem natamque suam pulchramque sororem
115 Roma petit, viresque parat, si laedere tentet
116 te frigus quisquam vel quemvis audeat alter ;
117 teque Latina rogat legum Bononia nutrix,
118 ut venias longo requiem positura labori.
119 Ne spernas, posito sibi sint incognita Nysae
120 culmina vel superos calamis in bella movere ;
121 sit potuisse satis dites spectare togatos
122 inter avaritiae scopulos orchestra tenentes.
123 Quid memorem celebres reges, quidve oppida passim,
124 qui cupiunt ut salva velis consistere secum ?
125 Si tibi sola sinus pandat Florentia mater,
126 egregium magnumque sat est : non clarior ulla
127 est Italica patria, non aequa potentia cuiquam ;
128 haec animas, haec arma virum sumptusque datura est.
129 O mea, si facies, centum miraberis urbes
130 laetitia florere nova populosque canentes
131 sacra Jovis magni Phoebique peana, corollis
132 ornantes aulas et te super astra ferentes
133 vocibus altisonis : resonabunt undique versus
134 Aonidum citharis ; virides, quae pallet, amicas
135 emictet laurus frondes, ac Sorgia lenis
136 fonte cadet placido campis ; juvenesque quirites
137 in priscos rediisse dies dum forte putabunt,
138 templa deum plausu ludis sertisque theatra
139 complebunt festisque choris de more vetusto.
140 Linquet et Ausonium bustum gravidasque paludes
141 Scipiades Romamque suam sanctumque senatum
142 consurgens repetet, niveos iterumque jugales
143 ducturus junget neglectos orbe triumphos ;
144 fulgorique suo si sentiat esse Robertus
145 hoc decus annexum, dulci cum pace quiescet.
146 Quid referam multas ? Patriae decus omne resurget
147 sospite te, et taetro posito squalore coronam
148 Etruscam capiti ponet vestesque resummet
149 purpureas, omnisque ruet post obvia, neptem
150 susceptura suam totis amplexibus. Ergo
151 frigida quid torpes ? Quid differs vota tuorum ?
152 Rumpe moras felixque veni, sanctumque poema
153 pande tuis aperique, precor, fac pande secreta,
154 ut videant omnes Itali juvenesque senesque,
155 Hesperus et Gallus, studiis tardusque Britannus
156 Germanusque ferox, Hister veteresque Liburni
157 et quaecumque sedent gelido sub sidere gentes
158 quem tu "Conspicuum meritis belloque tremendum",
159 diva, refers, serique queant novisse nepotes

160 terribiles classes et vela sequentia flatu
161 ordinibus certis et iusti vindicis iras
162 in meritos, quae pressa prius victricibus armis
163 litora, quas validas urbes aut oppida capta,
164 quas actas pariter praedas, Byrsaeaque arva
165 atque hominum strages exustaque castra Syphacis ;
166 et noscant Poenos undantes sanguine campos
167 Puniceo, luscumque ducem remeare coactum
168 in patrios agros saevo sub marte gementem,
169 Sidonias arces flammis ferroque subactas,
170 necnon et Tyrios fractos tractosque catenis
171 captivos reges ac laetos inde triumphos.
172 Tuque, pater, qui regna tenes nunc celsa Tonantis
173 et dulci frueris Christo, fac fautor ut assis
174 nunc natu coeptumque pium tu numine firmes.
175 Adde animos, ostende fugam retroque sequentes
176 pellito, ne possint carmen violare voraces
177 quod divum jam fronte gerit ; quaesoque benignus
178 ignoscas si, ut jussa minus serventur amici,
179 hortor sollicitus. Nosti sic Caesaris olim
180 edicto magni pariter frustrata Maronis
181 in decus et laudem divinae Aeneidos : et tu
182 principis imperium mecum laudare solebas.

C_10 v.1 Hac sub mole jacent cineres ac ossa Johannis,
 2 mens sedet ante Deum meritis ornata laborum
 3 mortalis vitae ; genitor Boccaccius illi,
 4 patria Certaldum, studium fuit alma poesis.